

quod dixerit veritatem in propositione esse accidens rationis, et quando intelligendum sequenti difficultate dicemus.

XXXIII. Ad confirmationem respondebitur sequenti difficultate, ubi tractatur an ratio ista veritatis sit realis, vel rationis. Nunc sufficit dicere istam relationem quantum est ex vi sui fundamenti, esse realem, dummodo supponatur terminus existens, quia hæc est conditio requisita ad omnem relationem realem: si vero terminus desinat, ratio illa realis non erit ob defectum termini, non quia ex se, et ex vi fundamenti realis esse non possit, sicut ratio patris realis est, sed si desinat esse filius, non erit ratio realis ob defectum termini: an vero possit manere ratio veritatis desinente objecto, non ad ipsum in se, sed ad id quod de ipso manet in effectu suo, vel ad Deum, in quo omnis veritatis causa est, dicemus sequenti difficultate. Unde etiam solvitur ratio dubitandi a principio: veritas enim non est sola ratio transcendentalis ipsius actus ad objectum, quia hæc manet, etiam variato iudicio de vero in falsum, sed in relatione secundum esse superaddita quæ de se realis esse potest, dummodo terminus existens sit; ex ejus enim defectu realitas relationis desinit.

XXXIV. Tertio objicies: Nam remota quacumque relatione, et solum manente iudicio de aliqua re cum existentia objecti in quo remanet veritas formalis, si quidem illud iudicium affirmat id quod est in re: ergo etiam si ratio non resultet, veritas manebit, et sic non constet veritas in relatione, sed sufficiet ipse actus iudicii cum connotatione objecti.

XXXV. Confirmatur ex quibusdam exemplis, quæ pro alia parte faciunt ad probandum quod veritas sit absoluta perfectio enuntiationis:

nam ipsa scientia, et ipse actus cognitionis essentialiter ordinantur, et commensurantur cum suis objectis, et non consistunt in relatione secundum esse, sed in aliquo absoluto quod est relativum secundum dici: ergo similiter veritas, quæ non minus est commensuratio cum rebus, nec minoris perfectionis, quam ipsa scientia, et cognitio. Aliud exemplum est in bonitate, et malitia actus moralis: nam istæ consistunt in commensuratione, vel difformitate ad regulam morum, et tamen non dicunt solam relationem prædicamentalem ad talem regulam, sed transcendentalem, et secundum dici, cum constituant diversas species actuum moralium, quæ non constituuntur sola relatione pura, sed vera et absoluta entitate, ideoque actus non mutatur de bono in malum, vel e contra sine mutatione intrinseca, non per solam relationis mutationem: ergo etiam veritas formalis, non in sola relatione consistet, sed in aliquo absoluto variante speciem ipsam actus.

XXXVI. Respondetur quod remota relatione adæquationis, remanebit veritas illa in propositione fundamentaliter, non formaliter: sicut remota relatione paternitatis, et manente utroque extremo patris et filii non remanebit pater, aut filius formaliter, sed fundamentaliter tantum, et tamen ly pater formalissime importat relationem; et idem est de relatione similitudinis, et adæquationis, atque adeo et de ipsa veritate formali.

XXXVII. Ad confirmationem quantum ad primam ejus partem respondebitur, quod aliter scientia, vel cognitio est commensuratio cum objecto, aliter veritas: nam scientia se habet ut habitus, et cognitio ut actus, seu operatio circa objecta, unde non se habet ut purus respectus, et ratio ad ipsa, sed ut aliquid abso-

lutum, quia habitus qualitatis est, et actus cognitionis etiam est qualitas, vel, ut alii volunt, est actio de prædicamento actionis, et ut utrumque est entitas absoluta: at veritas formalis supponit quidem hanc operationem, quia in ipso iudicio, seu propositione invenitur, sed non superaddit ad eam aliam operationem, vel repræsentationem, sed meram adæquationem cum re iudicata, aut enuntiata, et ideo non sequitur quod veritas sit aliquid absolutum, seu transcendentalis respectus superadditus actui, sed solum quod sit commensuratio supponens ipsum actum, et in eo fundata, et sic præsuppositive, et fundamentaliter est aliquid absolutum, et per modum actus tendens ad objectum, formaliter autem est pura adæquatio, et respectus, non autem nova tendentia operationis, aut repræsentationis, vel alia ratio secundum dici erga objectum, sed solum nova ratio adæquationis, et conformitatis in expressione veri fundamenti. Unde veritas sumpta cum suo fundamento non est minoris perfectionis quam actus scientiæ, tunc enim sumitur pro actu talem adæquationem fundante, et sic perfectionem importat, non solius relationis, sed etiam actus ipsius talem relationem fundantis: sola autem ratio non dicit hanc perfectionem.

XXXVIII. Ad alteram partem, seu exemplum, respondebitur quod moralitas in actu ipso non variatur de bona in malam per solam, et præcisam mutationem objecti, nisi mutetur etiam advertentia nova, et dictamen moris, vel omittatur cum currit obligatio, et consequenter etiam actus ipse mutatur: si enim me ignorante, et non advertente objectum reddatur prohibitum, quod ante non erat, non pecco, vel si teneor advertere, et nolo, vel ad aliud diverto, et ita omitto, illa nolitio,

vel divertentia aliquis novus actus est, unde resultat novum dictamen, et consequenter novus actus, vel nova tendentia in objectum cum aliquo defectu culpabili: at veritas, vel falsitas in intellectu, etiam nulla posita advertentia, vel notitia de novo, per hoc solum quod objectum non ita sit sicut antea mutatur, et redditur falsum quod erat verum, ut si dico: Joannes sedet, et me nesciente surgat, illud iudicium incipit esse falsum.

### TERTIA DIFFICULTAS.

AN RELATIO VERITATIS SIT REALIS, VEL RATIONIS?

XXXIX. Sunt tres principales sententiæ. Prima p. Vasquez hic disp. LXXVI, c. II, qui docet veritatem formalem esse aliquid rationis, et hoc conformiter ad sententiam ejus supra relatam disputatione prima, quod veritas consistit in conformitate conceptus objectivi ad rem in se ipsa, inter quæ solum potest esse ratio rationis, quia est ejusdem ad seipsum, ut apprehensi ad se ut est in re, et sic non convenit rei ut in se, sed ut apprehensæ, et cognitæ. Eidem sententiæ adhæret Molina etsi ex alio fundamento, quia existimat in hac prima parte, quæst. XVI, art. I, disp. II, semper relationem veritatis esse rationis, quia æque versatur veritas circa rem existentem vel non existentem, circa negationem vel rem positivam, quod argumentum tractat S. Thomas q. I de verit. art. V ad II, ut infra ponderabimus. Videtur autem favere D. Thomas huic sententiæ opusc. XLVIII, tract. de enuntiat. cap. IV et V, ubi docet veritatem, et falsitatem in propositione esse accidentia rationis: quia est mensuratio inter rem, ut cognitam, seu formatam ab intellectu, et ut est in re, quod etiam ex ipso D. Tho-

ma retulimus in summulis q. v, art. i, concl. iii.

XL. Secunda sententia docet veritatem esse relationem realem. Ita pluribus Thomistis tribuit p. Suarez d. viii met. sect. ii, ut Flandriæ, Javillo, et aliis. Omitto ipsius p. Suarez sententiam, quæ præcedenti difficultate relata, et impugnata est, quod consistit in actu iudicii cum connotatione ipsius objecti sic se habentes in re.

XLI. Tertia sententia docet relationem illam de se, et ex vi sui fundamenti esse realem, licet ex defectu termini, si non existat, possit quoque relatio ipsa deficere, et tunc solum erit rationis. Ita sentit, et explicat sententiam Thomistarum Bagnèz hic q. xvi, art. iii, dubio ultimo.

XLII. Dicendum nihilominus est relationem veritatis in intellectu speculativo, quæ consistit in ipso affirmare, aut negare, secundum quod exercetur inter ipsum actum iudicativum, et res, esse realem, dummodo terminus existens sit a parte rei; nam termino non existente nulla relatio realis manet, resultat nihilominus relatio rationis ex ista veritate, si consideretur sola conformitas, et adæquatio inter ipsam rem cognitam, et expressam, et se ipsam a parte rei, seu inter conceptum objectivum, et rem in se. Loquimur in præsentia de veritate speculativa, quia hæc in nobis regulatur ab ipsis rebus, quibus conformatur, et a quibus desumitur, et ita respicit res ipsas, sicut id quod regulatum, et mensuratum est suam mensuram, et regulam, qui respectus realis est. Intellectus autem practicus qui est factivus ipsarum rerum, sicut intellectus artificis respectu artefactorem in quantum factivus, potius est mensura talium rerum, et ipsæ sunt mensurate ab illo, et ideo potius fundat respectum rationis ad

res, et non realem, quia mensura non respicit realiter suum mensuratum, sed e contra: et ita talis veritas non se habet per modum relationis realis ex parte intellectus. Et hac ratione etiam veritas Dei respectu creaturarum realis non est, quia talis veritas non mensuratur a rebus, sed mensurat illas. Et vocamus speculativam veritatem, omnem illam quæ præcise explicatur per affirmare et negare tantum: practicam vero, quæ non solum affirmat rem esse, sed statuit, et determinat quomodo, et quid faciendum sit.

XLIII. Pro intelligentia ergo conclusionis est advertendum quod in veritate formali tria inveniuntur, inter quæ potest esse respectus, scilicet ipse intellectus cognoscens per actum; res ipsa a parte rei, cui conformatur actus; res ut cognita respectu sui, ut est in re. Et sic est triplex respectus. Unus, ex parte ipsius intellectus, ut mensurantis, et applicantis mensuram rei mensurate. Secundus, inter actum intellectus, ut mensuratum ad ipsam rem, ut mensuram. Tertius, inter conceptum objectivum, seu rem ut apprehensam, et seipsam ut est in re quæ est eadem res. Hic tertius respectus est rationis, duo priores reales: dicitur enim ille tertius respectus esse rationis, quia est ejusdem ad seipsum, et quia convenit rei ut cognitæ, seu apprehensæ ad seipsam ut est in re, et in re ut apprehensa non potest dari nisi respectus rationis.

XLIV. Et ex distinctione istarum relationum conciliabuntur diversa loca D. Thomæ. Aliquando enim dicit quod veritas enuntiationis est accidens rationis, ut in opusculo XLVIII citato, quia ibi solum considerat relationem illam adæquationis, quæ est inter conceptum objectivum, seu rem ut conceptam, et

rem ut in se: et referens duas opiniones, alteram, quod veritas est respectus inter conceptum objectivum, et rem in se; alteram, quod est inter conceptum formalem, et rem in se, non determinavit ibi de his opinionibus, quia locus non erat, sed juxta primam docuit esse respectum rationis, quia hic solum invenitur inter conceptum objectivum, et rem in se. At vero in aliis locis explicavit veritatem penes relationem, quæ est inter ipsum actum, seu conceptum formalem iudicii, et rem ipsam in se, quæ relatio est principalis in veritate, quæ in ipso iudicio invenitur ut supra difficultate prima ex ipso D. Thoma ostendimus; licet inde consequatur etiam talis adæquatio inter conceptum objectivum, et rem in se: et talem relationem esse realem, et per fundamenta realia explicari docet q. i de verit. art. v, nam inter cognitionem, et rem scibilem fundari relationem realem docet ibi solutione ad xv, et loquitur manifeste de relatione prædicamentali: in solutione vero ad ii, pro fundamento hujus relationis, seu adæquationis veritatis, ponit D. Thomas ordinem cognitionis ad rem, quæ per similitudinem suam cognitionem de se facit; et hoc fundamentum est sufficiens ad relationem realem, quia reale fundamentum est, dummodo terminum positivum habeat: consequenter ergo relationem ipsam realem esse, non potest negare. Addo quod ipse D. Thomas agnoscit mutationem propositionis de vera in falsam, esse propriam et veram mutationem, qualis in Deum cadere non potest, ut patet supra q. xiv, art. xv, et in hac quæstione xvi, art. vii, et q. i de verit. art. vi, ergo aliquid reale, saltem per modum relationis, importatur in veritate, alias mutatio propria, et vera non esset.

XLV. Fundamentum autem prædictæ resolutionis ex eo sumitur, quia inter actum iudicii, et rem ad extra datur vera dependentia, non solum in ratione repræsentationis, et cognitionis, sed etiam in ratione adæquationis, et veritatis: hoc enim quod est iudicium esse verum, est in quo maxime dependet cognitio a rebus, et in quo perficitur: ergo sufficiens fundamentum præbet ut relatio realis si terminus non desit, quia ubi dependentia, et perfectio realis est, ibi fundamentum relationis realis est.

XLVI. Confirmatur, quia relatio mensuræ, et mensurabilis, realis est, sed hæc intervenit in veritate formali; ergo est relatio realis. Major constat, quia relatio mensuræ est una ex speciebus relationis prædicamentalis, ut constat ex divisione Aristotelis, qua dividit species relationis v metaph. et nos diximus quæst. xvii logicæ. Constat autem, quod in prædicamento relationis solum ponuntur relationes reales, cum sit genus entis realis. Minor probatur, quia veritas consistit in adæquatione, et mensuratione intellectus ad rem: ex eo enim intellectus dicitur verus, quia conformatur, et adæquatur rebus in se, quod utique per aliquam mensurationem fit, et regulationem; et ita definitur veritas, quod est adæquatio intellectus ad rem. In hac autem mensuratione interveniunt extrema realia, scilicet ipse actus iudicii, seu conceptus internus, et res extra, si existat in se realiter, vel saltem in aliquo reali fundamento, causa, vel effectu, cui immediate adæquatur veritas, seu per quod probatur, et similiter fundamentum reale, scilicet ipsa dependentia actus ab objecto extra, et assimilatio, seu intendentia ad objectum: hæc enim omnia realia sunt, quia realiter inveniuntur in ipso actu interno, et in obje

cto: ergo tam extrema, quam fundamenta sunt realia, et ipsa extrema sunt realiter distincta, scilicet actus intra intellectum, et objectum ad extra: ergo relatio quæ inde consurgit realis est; nec enim amplius requiritur ad realem relationem.

XLVII. Ex eadem autem ratione constat, quod relatio inter conceptum objectivum, et rem ipsam in se non est realis, quia non est distinctio inter ista extrema, sed est eadem res ut cognita, vel ut in se ipsa, inter quæ solum est distinctio mediante apprehensione, seu esse cognito super quod non potest fundari realis relatio.

XLVIII. Similiter veritas de re non existente, ut de re præterita, aut futura, aut de connexionem essentiali potest habere pro termino reali, non rem ipsam in se, quæ jam præterit, sed in suis effectibus quos reliquit, et ratione quorum probatur, aut in speciebus sui quas relinquit in memoria, aut quæ sunt in mente Angeli, vel in divinis ideis: sed tamen hæc relatio, ut diximus, non est ad ipsam veritatem in se, sed ad ejus causas, effectus, fundamenta, aut probationes, quibus intellectui manifestatur veritas: ad ipsam enim veritatem in se non potest manere relatio realis, cum talis res non existat, sed hoc est ex defectu termini, non fundamenti relationis.

XLIX. Et ex hoc intelligi potest D. Thomas cum dicit quæst. I de verit. articul. v, in corpore quod: « In adæquatione, et commensuratione intellectus, et rei non requiritur quod utrumque extremorum sit in actu; potest enim adæquari intellectus noster nunc his, quæ in futurum erunt, et nunc non sunt. » Et in solutione ad II, dicit quod: « Non ens extra animam non habet unde intellectui divino æquetur, neque unde cognitionem sui faciat in intellectu nostro, et sic quod æquetur

intellectui, non est ex seipso, sed ex ipso intellectu, qui rationem non entis accipit in seipso; » hoc autem proprie pertinet ad relationem rationis, quia hæc resultat ex formatione per intellectum. Et idem docet de futuris, et præteritis, quod de non ente in solutione ad VI. Sed respondetur quod D. Thomas loquitur de relatione, et adæquatione ad ipsam rem, et veritatem ejus in se, non ad ipsam in alio, scilicet in causis, vel effectibus aut aliis fundamentis veritatis, ad quæ terminatur aliquando iudicium, et conceptus veritatis, non ad ipsam veritatem solum in se, ut diximus.

L. Ad fundamentum p. Vasquez jam satisfactum est difficultate prima, ubi ostendimus veritatem formalem non versari inter conceptum objectivum, et rem in seipsa, sed in conceptu formali, seu actu iudicii inveniri. Ad auctoritatem S. Thomæ jam responsum est, quomodo loquatur in illo opusculo XLVIII (si tamen ejus est, nec enim est ex opusculis indubitatis) et quomodo in aliis locis.

LI. Sed adhuc objicies ex Molina. Primo, quia sæpe contingit propositionem esse veram veritate formali, et omnino eadem, et tamen objectum non existere; eo autem non existente non datur relatio realis, quæ terminum realem exigit. Secundo, quia æque vera est propositio negativa, atque affirmativa, et tamen ad negationem non potest dari realis relatio, quia nihil est: ergo non consistit veritas formalis in relatione reali. Tertio, quia relatio conformitatis, et adæquationis hujus ex parte objecti ad conceptum non est realis, cum objectum se habeat ut mensura, quæ non refertur realiter ad mensuratum, quia non est mutua relatio inter mensuratum, et mensuram: ergo neque ex parte conceptus erit relatio realis.

## QUARTA DIFFICULTAS.

AN SIT PERFECTIOR VERITAS FORMALIS, QUAM TRANSCENDENTALIS?

LII. Respondetur ad primum ex dictis. Primo, quod non est inconveniens relationem veritatis realem non esse, sed deficere ex defectu termini, sicut aliæ relationes reales deficiunt, si terminus deficit, sed ex vi sui fundamenti petit esse realem, dummodo tamen adsit terminus in re. Vel secundo dicitur quod manet aliquando realis relatio veritatis, etiam non existente ipsa re, quia non solum illi conformatur in se, et in sua existentia, sed in suis fundamentis, et causis, vel effectibus, quia potius abstrahit ab existentia rei, et illa fundamenta, vel causæ sunt in rerum natura. Relatio tamen intellectus divini ad suammet essentialitatem realis esse non potest, quia non sunt extrema distincta, nec ad creaturas, quia ad illas realiter non ordinatur.

LIII. Ad secundum respondetur quod in propositione negativa, vel quæ formatur de aliquo ente rationis, si relatio veritatis respiciat ipsam negationem, et non esse in se, ut terminum cui conformatur, non erit realis relatio ex defectu termini, non quia veritas de se realem relationem non fundet, si adsit terminus realis, at vero si in propositione negativa respiciatur fundamentum negationis, vel entis rationis, tamquam id cui formaliter conformatur veritas, sic relatio ejus potest esse realis, quia formaliter respicit terminum realem. Videatur D. Thomas q. I de verit. art. v ad I.

LIV. Ad tertium respondetur, quod potius probat nostram sententiam, nam relatio mensuræ, et mensurati non est mutua: unde ex parte mensurati est realis, quia ibi est realis dependentia, ex parte vero mensuræ non; in veritate autem formali, res mensurata est iudicium, seu conceptus, res vero extra est mensura.

LV. Hæc comparatio fit secundum præcisionem conceptuum: constat enim quod transcendentalis veritas, etiam in formali includitur, quia ipsum iudicium, et relatio ejus etiam entitas est, et consequenter veritatem transcendentalem habet, unde includendo ipsam non potest fieri comparatio cum ipsa, an sit perfectior. Sed difficultas currere debet secundum præcisionem, quatenus exprimimus formalitatem veritatis intellectus, ut manifestativa est, et veritatis transcendentalis, ut entitativa perfectio est, et explicantur per ipsas diversa munera: entitativa enim veritas est mensura per ideas divinas, et mensurans nostrum intellectum, veritas autem formalis est manifestatio, et expressio mensurata per ipsas res, et inquirimus quidnam ex his explicat majorem perfectionem. Unde constat, quod si fiat comparatio veritatis entitativæ creatæ cum veritate formali, quæ est in Deo, illa sine dubio excedit, et est mensura istius, sed debet fieri comparatio utriusque intra eandem lineam, scilicet formalis veritatis creatæ cum transcendentali creatæ, et divinæ cum divina.

LVI. Oritur autem ratio dubitandi quia ex una parte videtur esse perfectior veritas transcendentalis, quam formalis, eo quod illa est mensura, et fundamentum istius, mensura autem est perfectior mensurato, quia tanto mensuratum est perfectius, quanto suæ mensuræ conformius. Ex alia parte, veritas videtur per prius dici de veritate intellectus, et secundo, ac per quamdam analogiam de veritate rei, sicut